



DANORVM MARCHIÆ SEV CIMBRI CI
REGNVM CONTINENTIS IUTIÆ DVCATVM
ac Codanis sinus Insulas chorographica delineatio

REGNUM CONTINENTI
ac Codanis sinus Insulas chorographica delineatio



*CHOROGRAPHICA DVCATVVM HOLSATIÆ
SCHLESWICÆ ET STORMARIAÆ delineatio.*

delineatio.



HOLSATIA.

Holsatiæ ducatum à nemoribus, sylvisque nomen sortitum arbitrantur: est enim ea regio sylvis saltibusque frequentissima, & Holt Cymbris ac Germanis inferioribus lignum significat. Nec defunt qui à Cauo lapide regioni nomen vendicent, quod ducis Holsatiæ, comites à cauo lapide prius dicti sunt. Est autem hic tractus portio Cymbricæ Chersonesi, quæ continentis in arctos extensi extrema pars est. Cuius populi olim Cymbri, Charudes, Phundusij, Cobandi, & Chali dicti sunt à Ptolomæo: hodie vno nomine Danos dicimus & Chersonesam Daniam. Cuius particulares Provinciæ sunt Iutia, Holsatia, Ditmarsia, Wagria, Storremarsia. Hos verò & Nordalbingos à mediæ ætatis historicis appellatos reperimus, quod Albis fluuij ripam, in Boream siti sint. Frisijs eos quidam annumerat, quod Chaucorum gentes esse credant. Verum eorum opinionem nos in Frisiæ descriptione ostendimus erroneam esse. Neque enim hic aliquando Chauci habitarunt, nec si habitarint ipsi Frisijs sunt, quanquam in Frisorum nomen concesserint, abolito gentilitio Chaucorum nomine. Quo verò pacto acciderit, vt hi Cimbri quoq; Frisorum nomen sibi usurpent, cùm ad Eyderū fluuium *Eyderfrisen* ac in obiecta versus Septentrionem Insula, *Strant-frisen*, vtrique in dextra Albis fluuij ripa, seu eiusdem ostio habitantes, vocentur. Ex his quæ iam dicta sunt, cōiectura videtur haud difficilis: quod Chaucis (quos iam in Frisorum nomen concessisse diximus) nonnulli ignorantia ac negligentia persuasi, Cymbros annumerauerint. Regio Ducatus titulo insignita est, continetque sub se & alterum ducatum, qui Schleswicensis vocatur: is olim Saxonæ Marchionatus fuit in ciuitate Heydebu erectedus, quæ deinceps Sleswica appellata est. Estque vna ex tribus vrbibus Episcopalibus Iutiaæ, qui sunt Schleswicensis, Ripensis & Arusensis. Holsatiæ verò caput ac Metropolitana ciuitas est Kile, Gottorpium principis sedes est. Reliquæ vrbes & oppida sunt, Ekelinfordt, Rensbergum, Flensburgum, Stendorpium, Treia, ac nonnulla alia oppida ignobiliora. Incolarum vulgus ducis ac nobilium mancipia sunt, reipublicariæ multum dediti. Regio ipsa nemorosa

ac saltibus occupata, vnde lignorum affatim, vt ut plus illis lignorum pereat, quām Frisijs suppeterere possit, cùm nihilominus focos largissimè instruant ipsi. Verum cùm syluarum apud eos finis non sit, quercus tamen vix gignunt robustas, sed fagis plena omnia, quarum fructu porci saginantur, maiori, quām dici queat, numero. Ager plerunque singulis triennijs, mutatis vicibus, pascationem vberem, ac frugum diuitem præbet messem: tribus enim annis colitur, seritur, metiturque aruum, tribus deinde annis stagna admittuntur, vt pisces depascantur gramina, ac pinguis quædam adducatur macerias, agrum reddens fertilem. Vineta non fert, nec oliuetas hic locus. Ferinarum frequens est venatio. Equorum magnum hæc regio producit numerum. Dania verò generosiores gignit. Paludibus quidem frequens est, minus tamen quām vicina Dithmarsia. Rari ac penè nulli montes hic conspiciuntur. Fluuiorū qui hanc regionē rigat, nominatisimus est Eydora, reliqui riuii potius, quām iusti fluuij dicendi erunt. Terminatur autē ab Occidēte Oceano Germanico, seu mari Britanico, à Meridie Dithmarsia & Storremarsia, ab Ortu Wagria & Baltheo, seu Codano sinu, à Septentrione Iutia. Incipit autē ab Occidēte iuxta vicum Steruer, sub longitudine graduū 30. minut. 42. ac desinit in Oriente iuxta Ryal vrbem, habentem longitudinem graduū 33. minut. 40. A Meridie incipit iuxta oppidum Itzbow, sub latitud. graduū 54. minut. 40. ac desinit in Septentrione iuxta oppidum Tunderen, quod latitudinem habet graduū 56. minut. 13. Gubiacz itaque post principium 10. climatis, quod est per Tanais ostia, desinitque post principium 11. quod est per medium Britanniam, ita ut Parallelus eiusdem Australis sit 21. diesque ibidem artificialis, horarum 17. Borealis autem 23. vbi dies prolixior horarum 17 $\frac{1}{2}$. Itaque longitud. latitud. habet penè similes, miliariorum Germanicorum 23 $\frac{1}{4}$. seu Italico- rum 93.

PRUSSIA, POMERANIA ET DIE THMARSIA.

PRUSIÆ nomen à Bructeris deriuatū credunt, voce non nihil corrupta ac fracta: Bruderi enim ex Westphalia, vti alibi monuimus à Chamauis & Angriuarijs electi, secedentes in Sarmatiā concessere, & ad Baltheum mare, domitis aut expulsis Vlmigeris, confederunt: quod Claudianus hoc versu innuere videtur:

*Venit accola sylue
Bructerus Hercynia, latisq; paludibus exit Cymbrus.*

In Sarmatiā enim Hercynia propagatur: Verūm de Prussiæ nomine aliter sentit Erasinus Stella, ait enim Borussios populos (quos Ptolomæus ad Rhiphæos montes collocat) non longè quā Tanaïs, ex eis erumpit, infelicitate sua cōcitos (quod perpetuū niuibus, algoribusque illic terra riget, ad omneque naturæ mysterium damna-ta est) ad nouas sedes capessendas, patria egressos in hęc loca delapsos esse, terramque vocabulo gentilitio Brussiam appellasse, qua vñque hodie vnius literæ suppressione Prussia vulgo dicitur. Rei fidem facit, quod etiamnum populi ad Riphæas habitantes, eodem pariq; sermone quo hi, vtuntur. Prussij itaque Wigewonum populi sunt, ad Clylipenū sinum in Sarmatiā Europæ, ac inter Vandatos numerantur: quorū sedes olim Burgūdiones, Varinos, Gothones, Fennos, Aestios, Stagnanos, Sargatios, Sudinos, Gelidanos, Gillones, Charinos, Sulones, Subarios, Hulmigerosque tenuisse ferunt, à quibus etiā hodie pars Prussiæ ad Vistulam, Culmigera vocatur. Partitur eam more antiquo Erasmus Stella, in Pomesaniā Galingiliam, Natangiam, ac postmodum in Barthiam, Naoderitiam, & Varnitiam, producatu habetur hodie pars Orientalis, quæ Chrono seu Pregelio flu. adiacet, Schalaunia, & Graudia vocatur. His in Meridiē vicina est Bartenlandia, ac Meridionalior his Mazouia, ad Occidentem iuxta Elbingum fluuium Natangia remanet, & sub hac Huntawia. His verò occidentalior pars ad Vistulæ vtramque ripam iuxta Gedanense emporium Pomesania & Pomerellen vocatur. Culmigera autē quam Culmischlant vocant ad Triebnitzam atque Vistulam fluuium versus Meridiem sita est: In Septentrione autē Insula illa quam sinus efficit Venedicus, Samaiden vocatur. Vrbium omnium opulentissima est Dantiscum. Gedanum olim à Gythonibus fortasse, ita enim Ptolomæus, Gythones vocat: præter hāc maritimam quoque vrbem, habet Konigsbergum, Latinè Regium montem dicere potes, ad Chronum seu Bregelam amnem, in quo magni magistri ordinis Teuthonicorum sedes erat aliquando. Intus in Mediterrania, in ripa Vistulæ fluminis, insignis vrbs, Turream & Turroniam, vulgo Dorn vocant, similiter Marieburgum, Chulmen, Notangen, Samkand, Risenborguni, Brunsbergum, ac complures alia. Aēre fruuntur frigidore. Terra ipsa vasta, ampla, ac paludibus inuia: Frumenti ferax est, aquis irrigua, & plena colonis, multa ambitiosa oppida, multi maris sinuosi reflexus, amœnam efficiunt, pecorum ingens vis, incæduæ syluæ, multa venatio, piscatio diues. Saltus Hercynias, qui per Brussiam vagatur, multa ferarum genera gignit. Alces, vulgo Ellandas vocant, Onagros, Vros quos Bubalos, Vrochsen, & Bisuntes, Puffalos dicunt. Præter illa & pelles quasdam non ignobiles mittunt hāc syluæ, quæ vestium fimbrijs principium hominum subduntur. Lectorum etiam stragula ex his consunt, pretioque ingenti vendunt, è mustelarum syluestrium genere sunt. Germani Martes vocant. Habent etiam syluæ præter id suas diuitias, apum scilicet ingentem multitudinem, quarum alieos seu nativos, intra arbores ad hoc causas cernere est, ex quibus tanta mellis & ceras copia prouenit, vt Germaniæ, Britanniæque, ac cæteris adiacentibus Insulis, commodè harum rerum vsum suppeditet. Ora illa quæ quasi pen'insula est, ob sinuosos flexus maris, terramque spatiōsē in freta ex currentēm, Samaiden vocant. succino abundat, in quam vi tempestatū idipsum aduehitur: id olim à Germanis Gleßum vocatum est. Inde Gleßaria regio ipsa. Quo loco vero succinum nascatur, scriptores non conueniunt, quidque succinum sit, controversum quoque est. Crediderunt nōnulli concreti maris purgamentum esse, quidam solis radiorum succum esse putarunt, quos circa Occasum vehementiores in terram actos sudorem pinguem in eam partem Oceani relinquere. Deinde æstuante mari in littorā Germaniæ, ejci dixerunt. Quidam verò è limo quorundam montium Sole

excalente fluitare existimant, in herbido solo atque algido, quod his montibus subest, indurari: Oceano illic efferuercent, inde rapi, in proximaque littora expelli. Plinius tradit Succinum gigni in Insulis Septentrionalis Oceani, ipsumque nasci defluente medulla, ex pinei generis arboribus, (seu enim resina in Cerasis, ita & in Pinis humoris abundantia erumpit) densamque rigore maris, eo intumescente ex insulis rapi, certoque littore expelli, ita inuolutum herbis, vt ex his pendere videatur, salo expui. Fluminibus regio rigatur ad ortum Chrono, qui nunc Perger, ad Occasum & Meridiem Vistula. Medi-terranea autem Elbingus flu. humectat. Sunt præter hos alij ignobiliores, Bro, Osa, Triebnitz, Brieg, ac innumerī ferè lacus. Visulam amnem ad occidentem terminū habet. Sinus maris Baltici Septen-trionale latus ambiunt, orientalem Solem ab Alanis excipit. Australē latus montes Humaxebij obtegunt, à quibus continuis syluarum iugis Hercyniæ pars sunt, determinatur. Incipit ab Occidente sub gradibus longitud. 41. minut. 20. qui est meridianus vrbis Putzka, desinque in Oriente, sub gradibus longitudinis 45. qui est meridianus Instenburgij oppidi. A Meridiē incipit sub gradibus latit. 52. minut. 30. desinque in Septentrionem sub gradibus longitud. 56. minut. 2. quæ est latitudo Memel oppidi. Subiacet itaque à medio 9. climatis, quod est per ostia Rheni, usque ad principium vndecimi, quod est per medium Britanniam. Vnde Parallelus eius Australis est vigesimus, ubi dies prolixior horarum 16 $\frac{1}{2}$. Borealis autem 23. ubi dies prolixior horarum 17 $\frac{1}{2}$. Habet itaque in longitudinem ab Occidente in Orientem miliaria Germanica 34 $\frac{1}{2}$. seu Italica 138. In latitudinem autem à Meridiē in Septentrionem Germanica 52 $\frac{1}{2}$. seu Italica 210.

POMERANIA.

POMERANIA nomen accipit à Pomesano Vidunti, primi Borussiorum regis filio, dicit enim Erasmus Stella: Vidunti filij qui in Borussia remansere, tres nimirum ex matre Borussia nati, terram secundum capita diuisisse Pomesanum, qui ex his ætate præcellebat, forte eam occupasse terræ portionem, quæ Hulmigeræ propinquior est: tum à Germanis habitatam, à quibus Borussij magis formidabant. Sed quoniam Pomesanus strenuus videretur, manu ac animo feroci, multitudinisque admodum studiosus, hanc magis tutari eum posse cōfidesse, ex ipsoque hanc portionem deinceps Pomesaniam dictam fuisse. Hodie verò voce nōnihil variata, Pomerania dicitur: Lemonij quos Tacitus recenset Rugijs finitimi & Oceani accola, Pomeraniæ cultores fuisse videntur. Sub his verò & Rugiani recensentur, & Wagrij, Polabi, Obotriti, Rissini, Circipani, cunctique Wandalii. Vsi sunt ante susceptum Christianismum lingua Vandalica, & à primis cultibus lingua Patria, hoc est Vandalica hāc regio Pomerzi dicta fuit, ab indigenis habita & proprijs Dominis gubernata: alienis autem nunquam subiecta est. Diuiditur autem in Superiore & Inferiore Pomeraniam, quarum hāc in Orientem vergens, Vandaliam, Cassubiamque, illa Stetinensem, Barthiensemque seu Wolgastensem duca-tus, ac Rugiensem Insulam complectitur. Oppidis egregijs exulta est Pomerania, insigniora tamen quæ habet, iacent in littore maris, præter pauca quædam Mediterrania, quorum primum est Stetinum emporio celebre, quod ex Wineta vrbe eō translatū est, estque totius hodie Pomeraniæ metropolis ac ducatus titulo insigne, amoenissimum habens situm. Habet præterea Wismariam, Hunoniam, seu Sundim quæ Marionis altera censetur ex Ptolomæi descriptione. Hodie Stralsunda oppidum splendidum in littore maris situm, olim suum habens principem, quem dixere Bardensem ducem, Gipeswaldum à Ptolomæo Viritium, iuxta coniecturam appellata. Rostochium in quo liberalium artium florens Academia, quam impetrarunt ciues ac Magnopolenses, seu Mechelburgenses principes, anno Christi 14. 15. accessitis Magistris & Doctoribus potissimum ex Erfordensi Gymnasio, quod & ipsa recens tum schola erat, annos necdum habet 30. Est verò is locus Rostochensis in eam rem nō incongruēs, quod aēris salubritas, & victualium omnis generis leui pretio ibi magna est copia. Caminum Episcopalis ciuitas, Iulinum nunc, Vullinum, oppidum olim nulli clarissimarum vrbium secundum, multas etiam

